

DIONYSII
PETAVII
AURELIANENSIS,
E SOCIETATE JESU,
EPISTOLARUM
LIBER PRIMUS.
NUNCUPATORIAE.

EPISTOLA PRIMA.
LUDOVICO XIII.
Regi Christianiss.

Nuncupatoria Themistii.

FIDISSIMOS regum monitores ac consiliarios esse libros, Ptolemæo regi dixisse Phalereum illum Demetrium narrat (LUDOVICO REX CHRISTIANISSIME.) Quod quæ vel offensionis metu reticere, vel per adulationem suppressere vivi ac spirantes nonnumquam solent; ea muti illi atque mortui impunè ac sidenter commoneant. Sed nequaquam ille mihi satis quæ in rem essent explicasse videtur; cum de librorum genere toto, nullo eorum delectu ac discrimine, regibus præscripsit. Ac multò sanè prudentius alter hic eadem ex schola philosophus, quem sub Augustissimæ M. T. nomine publicare sum ausus. Qui apud Valentinianum Imperatorem, ætate atque indole tui simillimum disputans, præclare ita constituit: *Non eosdem privatis hominibus, & principibus sermones, ac libros accommodatos, atque idoneos esse. Sed nimirum, ut amictus, ades, equi, currus, ac ministri, ceteraque quæ ad cultum pertinent corporis, ornatio vultus, quam sibi subiectis, & splendida sunt, ita disciplinas ac libros non communes istidem, ac vulgares attribui, sed proprios atque præcipuos oportere.* Cujusmodi eos esse definit, qui teneris principum mentibus alii atque exargerati animi magnitudinem quandam & gravitatem instillant: Quique reges illos prius, ac moderatores esse sui, quam aliorum rectores ac gubernatores, doceant: Ac denique qui divinissimi præstantissimique cum sint, divinam in eos & conditionem, & appellationem transfundant. Quod si ullius unquam lucubratio Scriptoris in hoc regionum, ut ita dicam, librorum grege censenda merito fuit; non vereor ut Themistianæ Orationis suam in eo locum ac dignitatem tueantur. Sunt enim hæc & ab homine sapiente, ac philosopho scriptæ, & eo genere sapientiæ præditi, quod non otiosum, & inclusum domo, ac scholis hæsit: sed cum publicam ad rerum administrationem, tum Principum maxime institutionem effloruit. Quo quidem utriusque pariter ac consentientis indultriæ nomine, Romanis Imperatoribus, quorum ætate vixit, in paucis acceptus fuisse, & apud eos plurimum auctoritate ac potentia valuisse dicitur: vicissim verò, quam apud eosdem collegerat gratiam, multis ac præcipuis in eos ac rep. officiis compensasse. Quo enim in loco habitum illum necesse est fuisse, qui præfectura ab iis amplissimæ urbis

ornatus, atque ad senatorium ordinem aggregatus; ad eorum intimam amicitiam, & familiaritatem pervenerit? Quam verò egregie de utriusque, Imperatoribus dico, ac rep. est meritis; cum sine illos optimis ac saluberrimis documentis instrueret; sive grassantem in hujus viscera quorundam ex impietate ac sevitia pestem oratione comprimeret! Sed nihil in eo, mea sententia, sic enituit, quemadmodum regis in liberis erudiendis dexteritas, ac solertia. Cujus in duorum institutione, Valentiniani scilicet, atque Arcadii, non obscura signa ac vestigia defixit. Atque horum in altero suscipiendo, amplissimum virtutis suæ ac sapientiæ fructum cepit, cum judicio summi post hominum memoriam Imperatoris; tum præterea præconio ejusdem celeberrimo, & maximo. Nam cum à Theodosio esset, qui tum in Occidentem reipub. causâ proficiscebatur, in concione productus; huic ille quem tum habebat unicum imperii successorem, ac generis, Arcadium, coram S. P. Q. commisit. Quem noster adeo honorificè in fidem suam ac disciplinam receptum, eximis, & tantæ Majestatis amplitudine dignissimis præceptis atque institutis formavit. Quæ sunt ab eodem magna ex parte hisce in orationibus consignata ac relicta. Ut ad reliquos quos habes monitores ac consiliorum participes tuorum, percommode veterem illum, & peregrinum possis adjungere. De quo cum cetera intelleges egregie, atque admirabiliter dicta; tum illud profectò divinitus sacris ex oraculis deductum. *Cor Regis in manu esse præpotentis Dei: providè quid agat, ac quemadmodum se gerat etiam atque etiam videndum. Nec enim decere, ut pravum quippiam, aut impurum, aut crudelitatis atque inhumanitatis vitio suffusum ei inuratur cordi, quod sanctissime ille benignissimæque manus circumferant. Præterea; Vivam & animatam legem esse Principem, delibetatione ex caelesti mente, ac citimam terris providentiam, quam ad alterius imitationem fingi ac commendari necesse sit. Jam ista præclare. Nullum esse clementiam, ac subditorum sibi caritate præsidium Regi certius, ac constantius. Optimum illum principem habendum, quem non timeant, sed cui per timeant sui. Anorem porrò in eos regum & benevolentiam, pietate in propinquos, ac præsertim fratres, posteritorem esse, atque ab eodem derivatum, & profectum. Mitto cetera ejusdem argumenti sanè copiosa, quæ tu hisce in orationibus reperies; digna prorsus regalibus institutis, nec mediocri olim tibi florentissimi ad Imperii administrationem adjumento futura. Hæc mihi (CHRISTIAN. PRINCEPS) non admonendi tui, aut ostentandi muneris nostri causâ præmonstranda ac præcincta necessario fuerunt; ne quis aliter meum istud consilium interpretetur quam velim: meque non doni ipsius opportunitate commotum, sed levitate & arrogantia impulsum*

sum existimet; meæ ut in hoc edendo Scriptore opere ex nominis tui splendore celebritatem quærentem. Equidem minime dubito, quin, si propius aliquis nostrum hoc ad munus oculos ac mentem adjecerit, non modo consilii mei rationem vehementer probet, sed illud unâ statuat; subtrahi hoc M. T. qualecumque demum est, sine aliquo flagitio non posse. Etenim si ii qui thesaurum aliquem, regiarum maxime opum, alicubi defossum repererint, offerre statim Principi, & ad ejus fiscum atque ararium referre jubentur: ego qui hunc disciplinæ regiar, & sapientiæ thesaurum, sepultum Græciæ monumentis ac latebris in lucem protulerim, non nefarii cujusdam peculatus arguar, si eundem alteri potius representem, atque adjudicem, quam tibi? Quamquam, etsi nullo alio tibi nomine obstrictus esset ac debitus Themistius; satis tamen ad sui commendationem iis in dotibus haberet præsidii; quibus præstantissimos Imp. conciliare olim sibi atque allicere potuisset. Secundum quos, ut probare se tibi possit, & in juvandi informandique tui aliqua parte numerari; magis erit, quod oblatum longo intervallo tam insignem ac regium alumnus sibi gaudet, quam eo te nomine devinctum, atque obligatum velit, quod ejus nullo tibi beneficio utendum decreveris. Quamobrem habebis hoc à nobis (CHRISTIANISSIME REX) consecratum, atque oblatum verè regium munus; hoc est, regum institutorem, ac præceptorem philosophum; & eundem, ut ante dixi, utilissimum regi documentis ac monitis referentem. Adde etiam ex hisce tuis, hoc est, instauratis à te nuper Societatis JESU scholis in lucem tui nominis excitatum. Hanc verò ille postremo loci prærogativam ad id auxilio fore sperat sibi, ut id, quod unâ peregrinus homo cupit, Latino cultu donatus Regni tui jus cum tuo favore & gratia consequatur. Deus te huic imperio diu florentem atque incolumem conservet. Lutetia Parisiorum XI. Kal. Septemb. MD. DC. XVIIII.

EPISTOLA II.

HENRICO BORBONIO
Metensi Episcopo.

Nuncupatoria Orationum latinarum.

UT qui prætereunti viam intento digito demonstrat, bene is quidem, & humaniter faciat: PRINCEPS ILLUSTRISIME sin deducat ac præeat ipse, longè utilius officiosiusque se gerat: sic eloquentiam qui usu artis ipso, exemploque discipulis informant, multò fructuosius operam suam iis collocant, qui solis illam præceptis, ac dicendi ratione præscribunt. Est illud verò institutionis genus cum posteriore isto laboriosius per se se; tum docti ipsi periculosius. In quo & actorem ex disceptatore fieri necesse est: & omnium hominum judicium, nonnullorum etiam invidia, famam suam, existimationemque subicere. Sed cum singulari scholarum nostrarum felicitate in earum sis curam disciplinamque traditus, & ad hanc eloquentiam quam profitemur institutionem gradatim perveneris; nihil, qua quidem in re studiis tuis commodare possem, vel laboris defugendum putavi, vel invidiæ ac periculi deprecandum. Feci igitur non admodum invitatus, tibi ut ejus artis specimen aliquod offerrem, cui te cumprimis hoc tempore deditum esse, non tam optabamus omnes, quam summam nostram cum voluptate ac gratulatione quotidie videmus. Simul ut, quoad in me situm esset, cuidam tuæ postulationi ac voluntati satisfacere. Quæsi enim de me sapius quod latine dicendi scribendique genus probarem maxime: propterea quod tanta esset inter eruditos homines sermonis ac styli varietas; neque desissent, quos Ciceroniana illa simplicitas offenderet: in quâ minus aliquantò laceratum ac virium inesse, reconditionis verò doctrinæ locum omnino nullum esse crederent. Ego verò cum unum nihilominus intendum Tullium, tum imitandum dicerem: id mihi optimum videri, quod illius ad exemplar quamfissimè esset effectum: negarem fastidiosos illos ac delicatos tanti faciendos esse, qui non judicio repudiassent hunc elegantiam nitorem, sed desperatione formidassent: vehementer hoc tibi penitusque persuasi: deinceps ut in illius lectionem

Pars III.

& imitationem acriter incubueris, nec è sinu tuo unquam ac complexu deposueris. Quamobrem ut iudicii opinionisque meæ non telem solummodo vocem; sed firmiorem aliquem obsidem teneres, has ipsas orationes in tuo nomine apparere volui: in quibus quid ego dicendo consequi studeam, quidve ceteris proponendum arbitrater, tibi imprimis, (ILLUSTRISIME PRINCEPS) secundum te autem ceteris, qui à me tecum instituuntur, velut perpetuo monumento testatum relinquerem. Jam si id ipsum, quod esse optimum perfectissimumque judico, assecutum me esse profitear, nimium arrogans sim, & ineptus. Ciceronianum quidem me esse, hoc est eam, quam isti contemnunt, sermonis facilitatem ac candorem imitari, voluisse præ me fero. Equidem non parvo tibi, ac reliquis, quos dixi, usui hæc nostra confido fore: quæ tametsi longè absint à summo; quod ad ejus utcumque similitudinem fuit expressa, in iis paulullum licet hærentem ad grandiora illa, & magnifica consurgere. Nam ut teneras vites agricolæ, antequam proceris arboribus applicent, humilioribus adminiculis ad ascensum consuetudine solent: sic ad Tullianæ faciendæ majestatem aspirantibus utile est interim in inferioribus, nec dissimili tamen genere, consistere. *Vix enim (ait Quintilianus) prima se elementa ad spem tollere effugenda, quam summam putant, eloquentia audebunt: proxima amplectentur magis. Utile igitur est habere, quos imitari primum, mox vincere velis. Ita paulatim & superiorum spes erit.* Ad summam non hæc tibi, tamquam absoluta, perfectique, sed ut horum meditantorum ac comparandorum adjuncta proponimus. Ut hoc portò meum in te studium, ac munusculum gratissimum tibi sit, adeo non vereor: ut vel eo tibi nomine dicandum putaverim, quo abs te probatum ac receptum, ad scholarum nostrarum fructum, publicamque commendationem longius sese auctoritate tua diffunderet.

EPISTOLA III.

HENRICO BORBONIO
Episcopo Metensi.

Nuncupatoria Soteriorum ad Sanctam Genovesam.

GRATUS erga cælestes animus, ingratus in homines & beneficiorum immemor esse non potest (PRINCEPS ILLUSTRISIME) Sive ab eodem ambo hæc affectu proficiscuntur: sive posterius priori illi proximam ac ferè consequens est, & eo fortasse notabilis, quod ejus, quem in oculis habeas, quam quem mente sola contempleris, oblitum videri, multò est ad animi labem ac fæditatem insignius. Itaque cum caelesti urbis patronæ debitum singularibus ejus in me beneficiis munus ac monumentum pararem, in eodem voluntatis in me tuæ, meritorumque testimonium ac memoriam existare volui. Quorum vel hoc ipso mihi visa est aptior opportunioreque conjunctio, quod & regii splendore generis, & ingenii ac morum indole, & dignitatis, quam desponsam jam ac destinatam habes, amplitudine proxime cælestes ipsos attingis. Quò minus de hoc tibi probando, conciliandoque munusculo, quod in eo genere fieri vulgò solet, laborare debeo. In quo primum illud est longè honorificentissimum ac maximum; quod eujus in tutela cum urbs ipsa, tum urbis præsertim academia quiescit; ejus splendorem ac decus domicilii contubernique tui accessione cumulasti: hujus tibi ornanda prædicandaque patrociniū à me modo defertur. Tum alterum illud, quod tuâ potissimum interest: (quamquam non tuâ magis quam Francici totius nominis causâ optandum istud est) ut ei Divæ, quæ morborum omnium propulsa, ac salutis & vitæ conciliatrix est, hoc voluti patrociniū collegio commendatum quamdiutissimè animo te pariter ac corpore florentem & incolumem habeamus. Vale. Lutet. Paris. MD. DC. XVIII.

EPISTOLA IV.

ANTONIO BORBONIO
Comiti Moretæo.

Nuncupatoria operum poeticorum.

UTRUM majori tu cum fratre scholis nostris ornamento sis, an ea vicissim utriusque aliquando futura sint, dubitari (PRINCEPS ILLUSTRISIME) merito potest. Nam & amplum illis ac perhonorificum est, ad regie stirpis institutionem cum Christianissimi Regis iudicio esse delegas, tum à vobis ipsis ultrò ac libenter ascitas: & pro utriusque indole facile conjici potest, quantum disciplinâ suâ decoris sint vobis ac splendoris allaturæ. Nam quod paucorum opinione, usu verò propemodum inveteravit omnium; nihil admodum principibus nostris artes istas asserere dignitatis: tam per sese est falsum & ineptum, quàm à teipso, ut de fratre tuo modò taceam, præclare ac constanter refellitur. Qui quo ex tempore huc ad nos deductus es, adeo omni cura ac cogitatione ad eas incubuisti: ut cum & generis splendore, & ingenio solertiâque æquales antecessores, tum studio, & amore discendi, navitate, industriâ, diligentiaque superaris. In quo per illud mihi jucundum, & ad indolis tuæ conjecturam egregium videtur, quòd ita omnes scholastici officii partes comprehendisti, ut ad poeticam vehemens te mentis impetus, atque ardor impelleret. Quod ipsum excellentis in adolescentulis ingenii specimen habet: & sine afflatu quodam, divinaque vi mentibus instâ fieri, Platone teste, non potest. Mihi verò ad id, quod jam pridem destinaveram, sanè opportunum accidit: ut posteaquam illusterrimo principi, fratri tuo, Metensium Episcopo, orationes, quod ejus scholæ ordinisque proprium genus est, obtulisset: tibi eam partem reservarem, quæ & tircinio magis tuo, & inflammato illi poetices studio, ac voluntati congrueret. Sed utriusque lucubrationis partes variis à me temporibus elaboratas, ac dissipatas, poetice verò etiam sparsim in lucem editas, unum in corpus, sic tamquam civitatem ac coloniam, redegei. Quare uti Veteres suos quibusque coloniis, quorum in tutela essent, genios attribuisse legimus: sic ego te poetici hujus operis præsidem ac patronum adoptavi. Immo verò quemadmodum in mari periclitantibus fraternum illud ac geminum salutare fidus esse dicitur: similiter in hac invidiæ ac malevolentie tempestate, ad quam hodierna ætas incubuit, ad utrumque mihi, te cum fratre scilicet, confugiendum esse duxi. Quorum sicut lucem ac splendore collustrati scholas nostras initiò dixi: sic benigno quodam afflatu me ipsum modò contra procellas omnes & injurias tutum fore magnopere confido. Vale. Lutet. Paris. CL. DC. XVIII.

EPISTOLA V.

FRANCISCO BRULARTO
Vallis Regiæ Abbati.

Nuncupatoria Panegyrici Henrici Magni.

ANNUS jam ab infelicissimo illo die agitur (VIR ILLUSTRISIME) quo cum Christianissimi, atque invictissimi Principis obitu panè totius regni miserum funus, ac fatale conjunctum est. Ex quo quantum privatim ad Societatem nostram mæoris, ac calamitatis pervenerit, neque tu ignoras, & que in nos hæc inde coorta jactatio est aperte id, palamque declarat. Quam ubi primùm lætior paulò tertum facies, ac serenitas excepit, fecit ea res ut acrius aliquantò me ab malorum nostrorum sensu ad egregii Principis, atque optimi sanè parentis memoriam referrem. Ac ut eam aliqua animi mei significatione prosequerem, quod sub ipsum illius exitum præstare earum me molestiarum importunitas prohibuerat, per delectos è grege nostro adolescentulos nuperrimè sum aggressus. Neque verò lacrymis jam nostris, ac lacu parentare ei visum est: sive hoc taciti ad id temporis abundè fecimus, sive istud ipsum in præstantissimis viris, ac perpetuò famæ cele-

britate victuris superfluum est: in quos illud utique de Lyrico convenit;

*Absus inani funere nenie,
Luctibusque turpes, & querimonia
Compeste clamorem.*

Argumentum igitur de illius laude potius, ac prædicatione sumpimus. Quod tibi, cuiusquæmodi est, justissimis, ac necessariis de causis nuncupavimus. Ut enim de splendore familiarum, ceterisque domesticis ornamentis taceam, quibus inducti vulgò alficere sibi illustrium virorum patrocinia solent; tuus id certè egregius in nostros amor, ac singularis exigit, quos paterna quædam benevolentia complecti, atque omnibus officiis favore non desinis. Adde hunc ejus esse collegii foetum, cui pridem abs te constitutum in hac urbe, atque attributum domicilium est, cuiusque propemodum auctor, ac conditor fuisti. Quo tibi nomine cum debitus ille præ ceteris, atque obstrictus ingenii fructus est, tum verò gratiorem, atque acceptiorem fore confidimus. Nam & quas quisque feverit arbutulæ, earum quamlibet exiguo proventu oblectari plurimum solet: & hoc ipsum, quod tibi indidem representamus, ejusmodi est, ut reipâ medicore; spe, atque expectatione magnam; animo sit, ac voluntate præcipuum. Vale. Remis Cal. Novemb. an. CL. DC. XI.

EPISTOLA VI.

NICOLAO VERDUNO
Senatus Parisiensis Principi.

Nuncupatoria Orationum Juliani.

MOLESTUM me interpellatorem dixerit aliquis (PRÆSES AMPLISSIME) qui tibi prolatis jam rebus, ac forensibus negotiis intermissis, otioso esse ne in communi quidem otio permittam. Verum qui & de dignitatis illius, quam sustines, amplitudine, & occupationum tuarum, que aliis temporibus summæ esse solent, magnitudine cogitarit: magis erit quòd pudorem à me in asciscendo patrono, quam in audeo oportunitatem, ac prudentiam requirit. Quorum illud ut abs te judicatum iri existimem, neque egregia tua humanitas patitur, qua te infirmis etiam admittendis, audiendisque facile præbes: & ingenii ac doctrinæ excellens prohibet; quæ ne ab eo quidem abhorret genere literarum, à quo est illud, quod modò tibi consecramus, profectum. Quas profectò artes adhibere potissimum in cessatione & otio soletis: ut in quibus rebus meditando quoddam assidui laboris constitutum, eas non nisi in ludo, & animi oblectatione numeretis. Erunt fortasse qui illud non improbandum, quod tuo patrocinio ad lucubrationem nostram auctoritatem uti decreverim; sed hoc tamen existiment, quemvis potius, quàm hunc Christianorum hostem, nomini tuo inscribendum fuisse. Contra quos plura hoc loco dicerem, si in ea te esse sententia putarem; quorum crimine aliquo notata, & flagitiosa vita fuerit; eorum cum improbitate mentionem pariter ac memoriam proferri oportere. Quod quia neque cum tuo hominis sapientissimi iudicio, neque cum rei veritate, aut quotidiano usu consentaneum est, & multa leguntur à contaminatis & impuris hominibus hand impurè scripta: dabis hanc mihi facile veniam, ut innocentissimorum scriptorum integritas favore tuo & gratia ab auctoris invidia sublevetur. Tamest ejusmodi illa sunt, quæ modò tibi damus Juliani monumenta, ut nihil ad famam suam præstandam cuiusquam excusationem desiderent. Nam cum eo tempore scripta ab eodem esse constet, quo sanus adhuc atque incorruptus esset: nihil iis ex consecuta morum perversitate contagionis, ac labis afflatum est. Atque hoc nimirum habent præ ceteris editis hæcenus illius operibus singulare ac præcipuum. Quæ quamquam implacabili Christiani nominis odio, & atrocissimis in Gallos, ut ille vocat, convitiis referta sunt; tamen & studiosè à clarissimis viris quæsitæ, atque in lucem emissa sunt; & eadem quotidie non modò sine offensione ulla, sed etiam cum maxima approbatione ac voluptate tractantur. Quamobrem hoc tibi gratiora

gratiora aliisque hæc nostra, ac jucundiora putavi fore: quòd neque isdem illa impietatis ac sceleris notis innotuit, neque eo carent, cuius hæc gratiâ alficuntur, doctrinæ elegantiaque fructu. Quod verò sepulta hæcenus tenebris, nunc primùm in tui luce nominis apparere incipiunt, eò majorem ex novitatis illecebra cupiditatem sui allatura confido. Erenim si vetusti lapides, numi, marmora, aliæque ejusmodi monumenta non tam utilitate placent, quæ plerumque nulla in iis est, quàm ipso genere vetustatis: ob idque & cruantur sedulo, & obscuris sapè ambiguisque rebus auctoritas ex iis arcessitur: nemo erit tam à ratione relictus, opinor, qui non mutis illis atque inanimis rebus. Veterum lucubrationes ac scripta, hoc est panè ipsius antiquitatis vocem anteponendam judicet. Quibus cum multa ad sermonis proprietatem, & ornatum, tum ad scientiam, atque historiam lucem, & scitu digna, & necessaria continentur. Hoc quidem in nostro plerumque res gestas commemoratas reperies multò quàm in iis illustrius, qui eadem commentariis suis atque historiis mandantur. Eiusmodi sunt Magnentiana illa tempora, & receptum à nefariis tyrannis ac recreatum imperium. Itemque longè celeberrima illa Nisibenis civitatis obsidio: ac cetera à Constantio suscepta administratæque bella, quæ partim scriptorum paucitate, partim festinatione paulò erant negligenter atque obscurius prodita: partim denique quòd qui illa eadem Panegyricis hæc à Juliano prærepta, ac diligenter explicata legent: ab iisdem iterandis suo iudicio sunt ac voluntate deterriti. Erenim Zosimus libro historicarum tertio, cum ad Persicum bellum, ac Nisibi oppugnationem venisset, supervacuum videri sibi ait rei gesta narrationem, ordinemque pertexere, cum jam Cæsar ipse peculiaribus hoc scriptis antè præstitisset. Quorum illud statim elogium adiecit: Ea verò si quis in manus sumpserit, maximam in dicendo vim hominis ac facultatem intelliget. Quæ omnia ad primam postremamque istarum orationum, sed hanc potissimum, mea quidem sententia pertinent. In qua de barbarorum irrito ad eam urbem conatu pari fide elegantiaque differunt.

Habes igitur (PRÆSES AMPLISS.) consilii in hoc edendo, dicandoque tibi Scriptore, mei rationem ac summam. Quod ut approbare eique suffragari velis, cum à te tua, ut initiò dixi, singularis humanitas, amorque erga has literas impetrabit, tum in societate nostram propensum animus ad hoc agendum hortabitur. Mea enim causâ, ut privatim aliquid elaborarem, neque ea fert, que in me est obscuritas omnium rerum ac tenuitas: & qualiscumque sum, officio tibi malo, ac teipâ esse, quàm ullius prædicatione, præsertim propria commendatus. Sed cum illud animo cogito: ejusmodi quiddam, nuper à me Christianissimo Principi manus oblatum, mirifice ei gratum, ac jucundum accidisse, non possum non eundem à te mihi fructum laboris mei operaque polliceri. Et quoniam hæc sunt & à Principe scriptæ, & ad Principem habitæ olim orationes, neminem ad earum patrocinium magis idoneum commodiorumque esse duxi viro illo qui quemadmodum aut apud reges dicendum, aut regibus loquendum esset præclare cognosceret. Qui cum summi ordinis sit, publicique consilii princeps, ita in iure dicendo, æquitatè moderanda regiam & personam, & auctoritatem sustinet, ut ejus vox quædam rei regie mentis ac voluntatis interpres, & purpureæ vestis fulgor ipse Majestatis illius amplitudinem demonstrat. Quibus regia potestatis insignibus ut regiam æque, cum in admittendo hoc meo munere, tum in fovendis nostris subleventisque, benignitatem adicere pergas, magno abs te opere contendo. Vale. Fixæ Andegavorum. vii. Calend. Novemb. A. D. CL. DC. XIII.

EPISTOLA VII.

JOANNI NICOLAO
Regiarum rationum in Parisensi Curia primario Præsidi.

*Nuncupatoria Tragedia Carthaginiensium, cujus ille
Agonotheta fuerat.*

QUOT leviore in lucem argumenti scripta, & monumenta proferant (PRÆSES ILLUSTRISIME)

ea se vel graviore cujuspiam auctoritate ductos, vel quotidianis amicorum precibus coactos; omninò verò invitos, & reclamantes edere, ac vulgare profiteri solent. Quod eo consilio fieri à plerisque interpretor, ut ingenii, industriaque fructum, quamminimo cum periculo famæ suæ, atque existimationis percipiant. Ego verò quantumvis Drama hoc nostrum, ex quo tempore publice regis hæc in scholis auditum est, postulatam à me sapè, & flagitatum meminerim, nullam hoc tamen ad excusationem audaciæ meæ, ac deprecationem valere patiar: neque me illud negabo, tibi ut potissimum offerrem, studio, ac voluntate fecisse. Quod ego non arrogantia ulla, ac levitate, aut verò fiducia operis impulsus, palam ingenueque fateor. Sed hoc totum ideo susceptum à me esse confirmo; tibi ut homini de nobis optimè merito, cum veterum in nos officiorum, tum recentis illius munificentia; cui Tragedia hæc potissimum servivit, grata aliqua comprobato vicissim exstaret. Est enim illa ipsa superiore anno in ea celebritate propolita, quæ præmiorum in adolescententes nos dividendorum gratia tuis auspiciis indicita est. Neque verò perpetuam hanc esse scholarum nostrarum rationem, ac consuetudinem ignoras; ut quotannis constituis cujusque generis scripturam præmiis discipulorum nostrorum alacritas excitetur. Id quod ad inflammandos mercedis & gloriæ spe eorumdem animos mirifice pertinere putandum est. Eiusmodi igitur tum in illis fuit, cum in theatrum commissis Carthaginiensibus nostris. Muneratio te, ac Brabeuta præmiorum est legitima illa divitio consecuta. Cujus in eos tam prolixæ liberalitatis, ac beneficii, quo minus privatim à singulari haberi gratias possunt, communem in hunc locum vocem omnium, & gratulationem contulimus. Est hæc publica salutandi tui, atque hujus offerendi munusculi causa (PRÆSES AMPLISSIME.) Mea verò privata atque præcipua est, quòd & singulare quoddam in me studium ac benevolentiam præ te aliquot abhinc annis tuleris, & quæ à me tibi ingenii monumenta oblata identidem erant iudicio tuo comprobatis; meaque, ut ille dixit, aliquid esse negas putaveris. Quamobrem non possum equidem auctoritate ac patrocinio non libenter uti, primùm amplissimi hominis & præstantissimi: deinde in alumnos nostros liberalis ac magnifici: tum in ordinem nostrum societatemque propensissimi: postremò cujus tam insignem antè prærogativam iudicii ac voluntatis habuerim. Quam quidem in præsentia spe nostra atque expectatione vel cumulatiorem futuram, facile suavissima illa tua, ac fuci omnis expert humanitas persuadet. Vale. Fixæ Andegavorum Cal. Dec. CL. DC. XIII.

EPISTOLA VIII.

GULIELMO VAIRIO
Francia Procancelario.

Nuncupatoria Breviarum historici Sancti Nicephori.

QUO primùm tempore Magistratus amplissimi dignitatem adeptus es, (VIR ILLUSTRISIME) communis hic omnium sensus fuit, non minus literarum incolumitati, quàm imperii saluti esse profectum. Erenim quod de civitatibus à Platone dictum est, multò id magis ad artium studia disciplinæque pertinet: tum eas demum felices futuras, cum aut sapientes præessent, aut sapientum illi ipsi qui præessent auctoritate regerentur. Ea porrò te sapientia hominem esse, qualem constituendis civitatibus adhibendam Plato censuit, jam dudum publica quædam populi vox, ac constantis totius regni fama celebravit. Quod ipsum adeò leve non est, ut in eo divinitatis aliquid inesse veterè sit proverbio contritum. Idem verò multò certius cum antea vita omnis, tum (ut nondum ab alieno fustragio discedatur) gravissima de te Principum iudicia comprobant. Quorum alter amplissimi te Consilii principem fecit: alter ab unius provincie cura totius ad regni moderationem convertit. Sed hic postremò quantum sapientia tuæ cum Regina Matre tribueret ostendit: cum ambo te ultimis è Gallie finibus exciverunt; quem formidolosos temporibus in quadam velut imperii specula collocarent. Siquidem pacato mari, tranquillòque celo facile cuivis gubernatori creditur, vel mediocriter perito: in

periculo nemo est qui non cum, si potest, adsciscat, quem scientissimum, prudentissimumque cognorit.

In quo unum est minimè prætereundum, quod ad hoc negotium multum interesse sentio. Nam plerique, qui prodesse sapientia sua publicè student, operosam illam dumtaxat, ac rebus gerendis exercitatum adhibent; eam verò, quæ in libris doctrinæ cernitur, tamquam civitatibus inutilem, feriatis hominibus relinquunt. Tu verò sic utramque admirabiliter complexus es; ut cum nemo tractandarum rerum majore peritia sit, tum usu litterarum, ac philosophiæ studio his temporibus antecellas.

Hanc enim primus inter Gallos, ut ille quondam in Græcia Socrates, languentem in scholis ab otiosa contemplatione, morum ad utilitatem usumque transfulisti. Tum ea monumentis mandasti plurimis, quibus & dicendi civibus tuis, & vivendi tibi etiam ac reliquis exempla præfiteres. Quibus in libris ita virtutis tuæ imaginem expressisti, ut eos una velut pignora, obdidesque Gallis traderes: ut quæ tua futura esset reip. generandæ ratio, tamquam ex Prætoris edicto, cognoscerent; neque eam umquam licere crederent, quam tute tibi imposuisses, personam detrahere. Quod quidem paucis his mensibus, ex quo præse ei muneris cepisti, egregie est à te perfectum: neque quisquam dubitat, cujusmodi hæc initia sunt, quin brevi per te hujus Imperii salus constitui, ac legum auctoritas recuperari possit.

Hac tu graviore curâ simul ac perfunctus eris, & majora illa regni negotia sapienter explicaris, tum te ad hæc nostra, nec minus tamen ad bene beatæque vivendum necessaria, convertes, ac litterarum tuarum salubritati dignitatique consulens. Venit enim mihi in mentem, qui tuus ante paucos dies partim à me auditus, partim ab aliis exceptus sermo fuerit; cum tu illud profitebare; nihil tibi gratius umquam exstitisse bonis artibus artiumque peritis, neque in posterum, quo major sublevandi esset facultas, ulla in re desitutum.

Quamobrem ut ejus vocis consilium meminisses, tamquam admonitorem allegavi Nicephorum nostrum: qui tibi cum privatum sui, tum communi nomine litterarum patrocinium deferret: simul etiam rogaret, quod in iis tractandis profuturisque nostræ societatis elaboraret, partem ut ad eam aliquam sollicitudinis hujus benevolentiaque transferres: ut iis quibus sæpè jactata est molestia perfuncta, non tam ipsa conulescere possit, quam & Ecclesiæ officis omnibus & doctrinarum studiis, vigiliis laboribusque suis commodi aliquid afferret. De me verò quod præcipue postulem nihil est, nisi ut audaciæ in te interpellando mee sic ignoscas, ut amori erga te voluntatiq. faveas. Vale. Lutet. Paris. vi. Calend. Sep. A. D. MD. DC. XVI.

EPISTOLA IX.

FRANCISCO CARDINALI
Rupiscald.

Nuncupatoria operum S. Epiphani.

MELIUSNE sit, & consultius (CARDINALIS ILLUSTRIS) peltiferarum hæreseon nefaria dogmata consignare litteris, an ea tacere penitus, jure inter sapientes queritur. Ac nonnullos minus sectarum ipsa descriptio, diligens præsertim, & enucleata, delectat. Alii cautione quadam ac delectu opus esse judicant; ut ea solum præmittantur, quæ aut vetustate jam obsoleverint, aut insigni fœditate, ac spurcicia contaminata fuerint. Utroque movet ea causa potissimum: quod cum universè decretorum ejusmodi recordatio perniciofa sit; tum eorum mortifera contagio, quæ obsecra voluptatis lenociniis partim incautos alliciunt, partim invitos, ac repugnantes afflatu nihilominus quodam turpitudinis, & odore perfundunt. Quamobrem quod Epiphanius Gnosticorum, Basilidianorum, Carpocratianorum, Origenianorum arcanas, ac detestandas libidines tam diligenter expresserit, non illud quidem viri sanctissimi factum, consiliumque reprehendunt: sed eorum omnium memoriam oblivione conteri fuisse satius putant; & Græcè, uti scripta sunt, relinqui modò atque à peritioribus dumtaxat legi

oportere statuant. Itaque latine ut ea nos interpretemur, ac promiscuam flagitiorum conscientiam, communemque faciamus omnibus; probandum minimè esse contendunt.

Contra quos omnes tam Epiphani nostri, quam nostrâ etiam causâ disputandum breviter existimo. Ac priores quidem illi, quibus totum istud negotium displicet, hæreseon abstrusa, ac recondita mysteria mandare scriptis, summum ac singulare veritati præsidium opinionem suam detrahunt. Hoc enim extorquent; quo nascentes identidem, ac redivivæ mendaciorum sectæ validissime propulsari à nobis, evertique possint. Est quidem ejus, qui in hæreseon vel molendam, vel tuendam incubuerit, animus in omnem audaciam sine ullo pudore projectus. Sed nemo est tamen ex illis absurdarum opinionum patronis, quem non utrumque convicti olim erroris, ac damnati pudeat. Sint sanè, uti sunt, ferri omnes hæretici: sint perveracitas: iidem se in ipso ardore, agitationeque disputandi ad resistendum acris fingant: tamen qui id didicerit; quique certis veterum testimoniis comperit, ante ab antiquis Patribus, & Conciliis, publicèque Christianorum consensu agnita ac repudiata dogmata illa, quam illi ipsi, quos sequitur, eorum interpolatores existerent; vix erit, opinor, ullus, cujus nisi frangi, edomarique contumacia poterit, non languidiores saltem habeat eruptiones, & impetus; ac paulatim per seipsam refrigerata, atque enervata concidat. Habent igitur hunc fructum commentarii illi, qui hæreseon scribuntur, ut in unaquaque ætate fautores perfidie ac satellites suos in illis, quos quidem erubescant, principes auctoreque recognoscant.

Jam qui certis ex hæreseon, easdemque vel obliteratas, vel turpitudine infames omitti jubent, difficilem quamdam moderationem postulant: cujus ne ipsi quidem usum, rogati à nobis, expedit. Etenim si hoc certò polliceri possent; opinionum illa portenta, postquam oppressa, ac sepulta semel essent, nunquam nisi in libris existerent, emerfura denudò, neque suis ex illis bullis, ac cineribus excitanda; nihil consilio huic istorum prævertendum putarem. Sed cum nihilominus statim temporum intervallis eadem illa monstra amputata toties, ac jugulata reviviscant: cum idem hæreseon illarum architectus, inventoresque Diaboli, etiam omni librorum extinctâ memoriâ, perseveret: cum iidem artibus, & machinis, eademque ad illas instaurandas calliditate ac nequitia sit præditus: neque nos istorum ille delectus adjuvat; & adversus redintegrati morbi periculum pristina illa certissima subsidia comparanda sunt. Potuerit sanè ante annos aliquot, imò sæcula, designatio illa certarum hæreseon ad scribendum, & opportunitas jactari; cum pauciores adhuc essent, nec tam diversis ac dissimilibus ex formis, prodigiisque constata. Hoc quidem tempore, quo emortuas pridem superiorum ætatum hæreseon revocatas in lucem, ac renovatas cernimus, ne dubitationi quidem illi, ac questioni locus amplius est relictus. Quod enim fuit in omni antiquitate genus opinionis ac sectæ tam horrendum, tam inusitatum & obsoletum? quis tam obscenus, & abominandus error? quod perfidie genus tam palam omnium voce condemnatum, quod non parentum nostrorum memoria fautores aliquos, ac sectatores haberit? parum est de Arianis illis conqueri, aut Macedonianis, Eunomianis, Nestorianis, & iis etiam antiquioribus Manichæis, Sabellianis, Samosatensis: ceteraque veteris Ecclesiæ faces ac tempestates persequi: in quibus præter dogmatis falsitatem nulla, aut obscenitatis disciplina fuit: quæ omnes in Germania, Polonia, Pannonia, Russia, alibi denique renata ad hanc diem grassari, & increbrescere dicuntur. Ille ipsæ didissimarum libidinum inventrices hæreseon, ac magistra, quæ promiscuos concubitus, ac reliquam corporis turpitudinem ostentabant, quæque uno Gnosticorum vocabulo contineri nonnumquam solent, iidem in locis in Adamianos, Pikardos, Waldenses, Lugdunenses pauperes, ceteraque portenta verius quam nomina redundarunt. Veniam ad Galliam nostram, ac novissimam Calviniani labem dogmatis, atque pestem, quæ in illius gremio confedit. De qua verissimè hoc mihi videor esse dicturus: velut sentinam illam orbis esse terrarum, in quam veterum, & recentium sectarum, errorumque colluvies confluit: ac quidquid hæreseon

reseon hæcenus exstitit, de quo legere aliquid, vel audire potuimus, ex eo libatum esse, ac derivatum aliquid; atque ex abhorrentibus monstrorum omnium partibus, ac figuris, ultimum illud, ac reliquis horribilius esse concretum.

Quamobrem cum & ubique terrarum, & hic apud nos præcarum sese hæreseon, ac sectarum venena diffundant, ad illa, quæ supra dixi, præsidia confugiamus, & medicorum imitemur industriam. Quorum majores cum eisdem humanis ingruere corporibus, ac recurrere morbos intelligerent, eorum origines, progressiones, proprietates, casum, atque eventorum exempla, tum remedia diligenter in libris notarunt: quæ dum poster legunt, contra illos ipsos alieno se usu, experientiaque confirmant. Ita nobis quibus assiduum est iidem cum erroribus, velut morbis ex intervallo recrudescentibus, ac jam antè cognitis, certamen ineundum: utiles sunt commentarii antiquarum hæreseon: ex quibus non earum modò notitiam adipiscimur; sed ad illas etiam, ubi renata fuerint, profigandas, eadem paramus auxilia, quibus, cum primum nascerentur, extinctæ sunt.

Quo in genere cum multorum Patrum egregie sit labor, ac cum laude versatus; quem tu tamen, sive diligentia, sive ubertate eruditionis, ac copia, cum Epiphano conferas, reperies ex omni antiquitate neminem. Non enim ille brevem dumtaxat hæreseon indicem ceterorum more conscripsit: quemadmodum Augustinus, Philastrius, Hieronymus, Damascenus, copiosius etiam Theodoretus, atque alii complures instituerunt: nec illorum tantummodò opiniones ac dogmata, res etiam ab earum auctoribus ac principibus gestas accuratissime proposuit. Sed quibus armis insuper, ac illarum petitiones depelli, aut vicissim illæ peti, expugnarique possent, uberrimè doctissimèque monstravit. Quibus etiam de causis hæreseon, sive, ut Anastasius Sinaita in questionibus, ac Photius cum Græcis aliis habet, hæreseon, id est, medicam arcam, sive capsulam ac thecam, opus illud inscripsit: ut in eo sciremus contra mortiferos, ac venenatos serpentium morsus, adeoque morbos omnes hæreseon, saluberrima remedia contineri.

Quocirca præsepe sum equidem Augustinum, vehementerque miratus: qui in libro de hæreseon ad Quodvultdeum, cum Epiphani meminit, hæc de illo in præfatione posuit: *Noster verò Epiphanius Cyprius Episcopus abhinc non longe humanis rebus exemptus, de octoginta hæreseon loquens; sex libros etiam conscripsit, historica narratione commemorans omnia, nulla dispensatione adversus falsitatem pro veritate decernans. Breves sanè suis hi libelli: est in unum libellum redigantur, nec ipse erit nostris, vel aliorum quibuslibet libris longitudine comparandus. Hujus breviter in fœderis in commemorandis hæreseon imitatus, quid à me brevius postulare, vel expectare debeas non habebis.* Hæcine, queso, de Epiphani panario Augustinum scribere? affirmare opus esse breve: & si in unum libellum redigatur, tam mediocri more, & amplitudine futurum? negare denique aliud iis in libris, præter simplicem hæreseon historiam, sine ulla mendacii oppugnatione tractari? Atqui & uberrimi sunt de hæreseon Epiphani libri: & adversus singulas fuscæ, accuratèque disputat: nec illud ipsum postremò, quod omisit ab Epiphano, à se verò factum iri dixerat, ut adversus singulas hæreseon disserteret, aut in illo de hæreseon libello, aut in alio Augustinus ipse præstitit. Nihil enim præter sectarum omnium summam errorumque capita complexus est. Quod postremum, ut admirationem auget; ita prius illud non levem suspitionem facit, Epiphani panarium ipsum, opusque adversus hæreseon integrum Augustinum nondum, illa cum scriptis proderet, vidisse: sed illius dumtaxat Epitomen, atque ejusdem fortassis Anacephalæosin, sive breviarium ex singulorum tomorum, & hæreseon argumentis, & capitibus collectam. Quamquam illud etiam movet, quod in sex libros asserit Epiphani opus esse partitum. At id secus se habet. Nam in tres dumtaxat libros tribuitur. Libri omnes in tomos septem. Quare illud Augustini singulare est, quod XVII. hæresi, quam Psallianorum vocat, Matthianorum Epiphanius, subtextit: *Proinde ille de octoginta hæreseon separatim viginti, quas ante adventum Domini exstiterunt, sicut evanum est, computavit, reliquis post Domini ascensum natis sexaginta*

ta, brevissimis libris quinque comprehendit, atque omnes in sex libros totius ejusdem sui operis fecit concludi. Tres in libros Panarium omne dividitur. Primus tomos continet tres: quorum in priore viginti illæ sunt Christo antiquiores hæreseon. Alter earum, quæ post Christum exorta sunt, tredecim colligit. Totidem postremus. Ac si librorum nomine tomos Augustinus intelligit, dempto superiore illo, qui viginti ex hæreseon constat, reliqui sex erunt, non septem. Quare fuerit illius operis, sive Epitomes alia ratio, partitioque necesse est, quod se Augustinus legisse, & imitari voluisse demonstrat.

Sed à minuta illa, & angusta disquisitione ad id redeo, quod de Panarii commendatione ac fructu disputare cœperam. Nam ad illud, de quo agebatur, Catholice religionis patrocinium, & hodiernarum eventuonem hæreseon opportunitates innumeratas, & adjumenta suppeditat. Primum quod de ejus auctoritate, propter & Scriptoris vetustatem, & illustrem inter Patres dignitatis locum, ne ipsi quidem obtrectatores antiquitatis, ac bonorum hostes omnium dubitant. Deinde quod præcipua quæque decreta fidei, quæ opiposissimi homines his temporibus inficiari audent, tam expressis ab illo testimoniis approbantur; quæ autem iis illi contraria defendunt, suos ad auctores, hoc est hæreticos, revocata veteres, tam graviter, ac crebro refutantur; ut quem adhuc falsitatis illius non pudeat, communem antè sensum, quam modestiam, verecundiamque perdat.

Hæc de Epiphano nostro adeo magnificè, splendideque jactata quam vera sint, plerum in singulis Lutheranorum, & Calvinistarum erroribus facerem, si id aut Epistolæ brevitatis fineret, aut alium, quam te (CARDINALIS ILLUSTR.) oratio hæc à nobis instituta respiceret. Sed id aut alio fortasse loco præstabis; aut ad certos hodiernis & Scriptoris remitteremus, qui in eam partem studiosè, ac sanè utiliter incubuerunt. Tibi verò nota magis illa, quam mihi sunt; qui quantus vir Epiphanius fuerit, quantumque Panarii illius momentum sit, non aliena commendatione, sed studio ipse tuo, experientiaque didicisti. Ac quicquid hæcenus vel de auctoris hujus præstantia, vel hæreseon labefactandarum ratione paulò verbosius explicavi, non id tuâ causâ, neque ut quod abs te dicere debeo, hoc te ipse docerem, pertractare volui: sed ut consilium de hac editione meum expositum tibi, à teque probatum, maneret ad ceteros, tuoque se judicio, & auctoritate defenderet. Quam ego prærogativa voluntatis, humanitatisque tuæ dignitate ipsa muneris, ac pretio impetrare malui, quam, quæ trita, & pervagata præfationum leges est, orandis tuis laudibus, ac virtutum tuarum præconio colligere. Nam apud te de te ut verba faciam, singularis, quæ in te est, gravitas, ac modestia non patitur. Neque te ambitiosa ista, & quod esse jucundissimum omnium acroama dicitur, ornamentorum tuorum, atque insignium prædicatio delectat. Itaque non alio sequestre, ac conciliatore gratia tui usus, quam Epiphano ipso, ad tutelam nominis tui, patrociniumque confugi. Quod ut mihi desitutum non esse confidam, facit amor imprimis erga litteras tuas; tum pietatis, religionisque cognitus omnibus, ac perspectus ardor, quibus ex ambobus studiis nostræ illæ in Epiphanium collata operæ, vigiliæque proficiuntur. Faciunt excellentes ingenii artes, virtutisque cetera: quibus Ecclesiæ principatum jam dudum publica omnium vota, ac suffragia despondent. Facit postremò prolixus tuus in societatem nostram, ac multis indicis perspectus, atque exploratus animus: tum nonnullis quoque tenuitati nostræ patefactus jam dudum benignitatem tuam aditus, ac receptus. Quorum omnium summam brevissima hac, certissimæque voce complectar: neque te dignius, quam quod à me modò defertur, offerri tibi munus posse; neque digniorem, cui illud offerrem, te uno reperiri potuisse. Vale. Lutet. Paris. An. ineunte M. DC. XVII. Cal. Feb.